

Et convocatis principibus suis narrauit illis sompnum quod viderat. ac illi dederunt ei consilium ut ita faceret quemadmodum dictum fuerat ei in sompno. Statimque alexander vocauit unum ex principibus militiae suae cui nomen erat eumulus qui erat audax et fidelissimus alexandri. et iussit ei ut unum equum equitaret et alium vacuum ad manum traheret et sequeretur eum factumque est. et cum percessissent ambo ad fluvium qui dicitur granicus qui per istam linguam stragaria appellatur inuenerunt eum coagulatum. Statimque alexander mutato habitu induit se vestimentum quod in sompno viderat et dimisso ibi principe militiae suae ipse solus transiens cepit ire contra ciuitatem darni. Princeps vero rogabat eum dicens. maxime imperatori committe me venire et transire fluvium teum ne forte viat tibi aliquid angustia. Cui alexander dixit. expecta me hic quia in meo adiutorio veniet ille qui in sompno apparuit. Iste fluvius de quo superius diximus hyemali et vernali tempore tota nocte permanet coagulatus. Mane vero cum incaluerit sol dissoluitur et efficit se minimum qui rapidus ut quicumque ibi incidit rapit et absorbet. et est latitudo ipsius fluminis stadio uno. Cum autem venisset alexander ad portam civitatis videntes eum perses mirabantur in figura eius exstantes illum deum esse. Statimque interrogaverunt eum dicentes. quis es tu. et ille respondit.